



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dvbivm I. quid differentia in Genere, & quomodo dividatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

DISPUTATIO SEXTA

De Differentia.

DVBIVM I.

Quid Differentia in Genere, & quomodo dividatur.

RESOLUTIO I.

DCXVI. **D**ico 1^o. Differentia in Genere est forma, quâ unum ab alio, vel à se ipso differt.

DCXVII. Dixi ab alio, vel à se ipso, putà, vel positive, nam Belga per formam positivam, scilicet albedinem, ab Æthiope habente nigredinem differt: vel negative, nam per formam negativam, non agens à se ipso agente differt.

RESOLUTIO II.

DCXVIII. **D**ico 2^o. Differentia in Genere, dividitur in communem, propriam & propriissimam. Cômunis est Differentia secundum formam accidentalem contingentem: sic paries albus à nigro differt. Propria est Differentia secundum formam accidentalem propriam & connaturalem: sic homo risibilis ab æquo hinnibili differt. Propriissima est Differentia secundum formam specificam: sic homo per rationale à bruto irrationali differt. Per hanc duo per se differunt, & sunt aliud & aliud: per duas 1^{as}, non nisi per accidens, & sunt alterum & alterum.

DCXIX. Adde 1^o. officia Differentiæ propriissimæ quatuor præcipua numerari; scilicet dividere Genus; constituere Speciem; de Specie prædicari; unius Speciei Individua ab alterius Speciei Individuis essentialiter distinguere. Vnde dicitur divisa Generis, constitutiva speciei, de Specie prædicabilis, & distinctiva unius Speciei Individuorum ab Individuis alterius Speciei.

DCXX. Adde 2^o. Pleraque Differentias propriissimas nominibus negativis, defectu positivorum exprimi: ut irrationale, inanimatum, &c. supponi tamen pro realibus & positivis: facit enim sæpenumero penuria vocabulorum, ut positiva explicemus per negationem.

DVBIVM II.

*Quenam sit definitio essentialis Differentiæ
3^a. prædicabilis, & respectu quorum
sit 3^{um}. prædicabile.*

DCXXI. **A**ntè Resolutionem Suppono, Porphyrium hic Differentiam prædicabilem definire, Id, quod prædicatur de multis differentibus Specie in quale quid. Verum, præterquam quod hæc definitio tradatur per prædicari actu, quod est accidentale Differentiæ, non secus ac visui actu videre, non convenit Differentiæ atomæ, quæ de solo numero differentibus prædicatur in quale quid. Vnde dicendum ly differentibus Specie, addi explicationis gratiâ, hæcque sola, ut summum, verba esse definitioni essentialia, Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, sicque definitio Differentiæ conveniet Differentiæ atomæ & aliis. Verum pro clariori & præmissis conformiori definitione, sit

ferentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, sicque definitio Differentiæ conveniet Differentiæ atomæ & aliis. Verum pro clariori & præmissis conformiori definitione, sit

RESOLUTIO I.

DCXXII. **D**ico 1^o. Differentia est unum, &c. aptum prædicari, de multis ut pars formalis essentiæ Universalis. Per Genus definiti excludit Individuum. Per ly ut pars formalis Genus, per ly essentiæ, Proprium & Accidens: per ly Universalis Speciem. Pro quorum clariori intelligentia, vide dicta suprà de Genere & Specie. Indè autem

DCXXIII. Colliges, cur Differentia Generica, quæ de multis Specie differentibus in quale quid; & specifica, quæ tantum de multis solo numero differentibus dicuntur; non constituant duo diversa prædicabilia, sicut Genus & Species: hujus enim ratio est, quia utraque de suis inferioribus eodem modo prædicatur, scilicet in quid ut pars formalis essentiæ Universalis; nec prædicari de Specie vel numero differentibus, diversificare potest prædicabilia essentialiter, ut Disp. 3^a. de Genere dub. 1^o. vidimus. Vnde dic allatas definitiones, Differentias genericam & specificam non diversificare in ratione Differentiæ, sed in ratione genericæ & specificæ; nam Differentiæ, quibus Differentia ad genericam & specificam contrahitur, Differentiam non dividunt in duas diversas Species; sed unam eandemque in duo Accidentia Specie diversa, prout dividitur homo in album & nigrum, ut consideranti patebit.

RESOLUTIO II.

DCXXIV. **D**ico 2^o. Differentia non est 3^{um}, prædicabile respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti: Ita PP. Ioan. à S^{to}. Thoma. Complut. nostri Log. Disp. 7. & alii contra Cajet. Sotum & Tolet.

DCXXV. Probat P. Comptonus Log. Disp. 36. Sect. 2^a. Quia conceptus Universalis formaliter, est conceptus superioris formaliter; sed respectus Speciei non est aliquid superius, sed tantum æquale, ergo &c. Ita ferè omnes alii, nominatim PP. Complut. & Ioann. à S. Thoma.

DCXXVI. Contrà: ista probatio mihi omnino nulla est; quia (quidquid sentiam, conceptum Universalis, semper respectu aliquorum, esse conceptum superioris) si per duos conceptus semel homo à Petro & Paulo abstrahatur, & semel à Caio & Titio, & postea rationale ab istis duobus hominibus abstractis abstrahatur, respectu illorum erit Universalis, non tamen superius, ut patet, magis quàm si ab uno istorum abstrahatur respectu unius sit superius. In eundem errorem incidunt alii, qui ad Universalis requirunt ordinem unius superioris ad multa inferiora. Quare aliter

DCXXVII. Probatur, quia quod est 3^{um}, prædicabile debet esse unum & multa ut multa, sed rationale